

nibus inter Angelos stare, quam impedimentis omnibus secularibus ruptis in Conspetu Dei jam se liberum sistere, quam Caeleste Regnum sine Cunctatione retinere? Haec, quae, intentis oculis Lector perpendat, ac serio recogitet. Burneti Scholam certe nesciebant, aut saltem falsam credebant Romani Martyres, qui tanta fiducia de Præmio in Caelis Justos, statim ac decedebant, manente, hæc Romæ in centro Fidei perscribebant. Proinde Burnetum pudeat, venditasse apud fuates, trium priorum Sæculorum Christianos in deliramenta sua concordi suffragio consensisse.

At heic inquit aliquis: utat sanctis Martyribus e veterum communi dogmate officia Coeli oberata non fuerit, unis tamen illis hætenus delatam ejusmodi prærogativam vidimus. Quænam ergo de reliquorum per Justorum Animabus sententia tunc fuit? Non aliud tunc visum gravioribus Ecclesiæ Patribus, quam quod a tot Sæculis tradit Ecclesia Catholica: videlicet ceteris quoque Justis suam esse sedem in Coelo, diversam tamen pro diversitate meritorum, neque expectandum supremum Christi Judicium, ut illuc invehantur. Unum tamen discrimen perpetuo constitutum fuit inter istos & illos. Martyres, quod omnem labem culpæ suo Sanguine purgant, continuo Coelum excipit. Justos non eadem semper celeritas præmii manet: Qui aut innocentes, aut culpis per poenitentiam rite elatis e vivis abeunt, nihil obstat, quominus recta ferantur in Coelum. Amici Dei & ipsi sunt, ac propterea & ipsi Præmio statim donantur. Quibus vero purganda restant in altera Vita, tum solum in Patriam ingressus est, quam divinæ Justitiæ factum est satis. Proinde in sacris vel ab ipsa primitiva Ecclesia commemoratio fieri consuevit tam Martyrum, quam ceterorum Justorum, sed plane diverso intuitu: quod & antea animadvertit Dodwellus in Dissertationibus Cyprianicis. *Eucharistica*, gratulatoria lætitiæ tantum testis erat commemoratio Martyrum, non vero *Propitiatoria*, ut eis parceret Deus. Reliquorum autem Fidelium memoria *Propitiatoria* erat, ut Fidelium in terra viventium orationibus illorum Animæ in altera Vita juvarentur, qui adhuc misericordiam Dei indigerent. Veterem hanc Ecclesiæ disciplinam non uno in loco innuit prælaudatus Sanctus Cyprianus, & non semel expressit S. Augustinus, præcipue in Sermone nunc CLIX. olim XVII. de Verb. Apostoli. Sunt hæc illius verba: *Ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, quum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Porro nihil dubitandum est, quin S. Cyprianus crediderit atque tradiderit, Justos quoslibet, nisi quid expurgandum eis restet post mortem, in Coelum sine cunctatione recipi, Martyres quippe quodammodo, ut sæpe monui, il quoque censebantur, qui carnem suam crucifigebant cum vitiis. Atque hanc Carthaginensium quoque Ecclesiæ fuisse doctrinam, satis prodit Pontius Cypriani Diaconus, dum in illius Vita animadvertit, neminem e præcedentibus ejus Urbis Episcopis sanguinem effudisse pro Christo,